

TOBIAS JUNIOR.

SEU

APPLAUSUS MUSICUS
REVERENDISSIMO, PERILLUSTRI,
AC AMPLISSIMO

DOMINO, DOMINO

IGNATIO

ORD. SS. P. BENEDICTI,

Antiquissimi Monasterii ad Quercum Inferiorem
Bavariæ Inferioris

ABBATI *[Vorf. : Maichl
Har., P.]*

VIGILANTISSIMO &c. &c.

Utriusque Bavariæ

ABBATUM PRIMATI,


Nec non

Ecclesiæ Cathedralis Bambergensis Canonico, Celsissimi, ac
Reverendissimi S. R. I. Principis, & Episcopi ibidem Collaterali Nato,
Præposito in Rinchna, ad S. Oswaldum, & Spitz Austriæ Inferioris,
Domini in Hengersperg, Arnbruck, & Kirchberg &c. &c.

S. Congr. Cassinensis

ABBATI DIGNISSIMO

Ad Festum Onomasticum submississime oblatus.



STRAUBINGÆ, Typis Cassiani Betz.

ME DUXIT, ET REDUXIT SANUM,

Tob. XII. v. 3.

PERSONÆ.

TOBIAS SENIOR, *P. D. Gominus G. Hieronimus
Kobler Geisenhainensis Frojis.*

ANNA UXOR, *Paulus König Landavienensis Frojis
Zeminensis.*

TOBIAS JUNIOR, *P. D. Gominus G. Romanus
Balth. Geisenhainensis*

RAPHAËL ANGELUS, *Leopoldus Juvenis
aus Kochs Regensfis semis*

ACHIOR CONSOBRINUS TOB. JUN. *P. D. Gominus
Fominus frater Cronus G. Hausf. Monacensis.*

CHORUS ALTAICENSIS.

*Tarta Vient et modulos musicos composuit P. H. A. ac dactis
mus Gominus Later. Kavejis Mithle. Monacensis et pro tempore
chori femina nympha directos.*



Anna.

Stillate lacrymæ!
A Coelo nobis datum
Sic perdam ego Natum?
Deperdita est res!
Sic virga gemina
Infelix plectas Mater?
ô chære!
Me dolor enecat.

Tob. Sen.

Quid uxor angit te?
Ah! noli desperare,
Vult DEUS hunc servare,
Non est: sed adhuc spes.
Diffusa foemina!
Est DEUS pius Pater,
Solare,
Pro nato Coelum stat.

Anna. Heu! heu Fili mi! alia cur te diu
Fovet Regio? Spes nostra! redeas ô! cito.
Baculum senectæ amissimus: fugit sinum
Proles meum, charissima proles, pars meæ
Vitæ. Misera quid absque filio Parens?
Sors dura! præfagit animus mihi meus
Tristitia nimis.

Tob. Sen. Præfagiat: non credam ego.
Mihi mens alia dicat mea. Pius est comes
Quem filio dedi; ille quoque fide sua
Nobis data stabit. Quid igitur angeris
Anna? mea conjux! filius certo Tobis.
Ad nos redibit, & quidem, ut spero, brevi

Anna. ô utinam! attamen minima spes est adhuc.
Omnes ego quoties dubia Mater vias
Lustro: mihi tamén ista nil prorsus,

Tob. Sen. DEUS
Conjux mea! DEUS Fortis, & DEUS Bonus
Ambos juvat; namque Angelus tegit eos,
Et comitatur. Plura non ego peto.

* * *

Gallinæ sub alis
Securi à malis
Ut pulli servantur,
Non vulturis diram
Hic sentiunt iram,
Sed mire lætantur:

Sub tegmine Divum
Incolumem, vivum
Non sperem cur natum?
Si Cœlum custodit:
Non habet, quod odit,
Cur timeat Fatum.

Anna. Rumpo moras!

Tob. Sen. Quorsum?

Anna. Obviam, Tobis, cito

Ibo, video natum.

Tob. Sen. Quid? ô Conjux! vola.

Tob. Jun. ô salve Mater!

Anna. Nate salveto,

Tob. Jun. Pater!

Tob. Sen. O nate! Tobis! accipito festinum tui
Parentis osculum.

Tob. Jun. Pie Parens vivito!

* * *

O suavis aspectus
 Quam recreas me!
 Exultat hoc pectus,
 Dum video te:
 Tu Lux, tu Gloria, unica Spes
 Mihi charissime genitor es.

Tob. Sen. Innovor ut aquila, dum teneo natum meum.
Anna. Matrem beatam me! video nunc, quo diu
 Carere Mater sollicita debueram.

Tob. Jun. Grates Huic, qui fidus in cunctis erat
 Comes viis. Hic est, periculis tot sua
 Vigilantia qui me eripuit, & ad Lares
 Patrios (merita quanta) fide vobis, & mihi
 Data, nec infracta retulit.

Raphaël. Istud meum
 Sic expetebat munus, & data fides,
 Restituo quem vos mihi.

Anna. Morior ego libens,
 Cum mihi semel adhuc contigit, pectus meum
 Tot fervidis votis, quam anhelabat diu
 Cernere, meisque stringere lacertis prolem, *Tobiam*

Tob. Sen. Præ gaudio vix me capio! Fili Tobis,
 Tu vita mea.

Achior. Quid? video Tobiam? meus
 Forfan mihimet ludit oculus? ô! Polus
 Nos amat! Is ipse est.

* * *

Tripudia lætare,
 Tibimet gratulare
 Chara vicinia!
 Quo dudum caruisti,
 Nunc denuo vldisti
 In sua Patria.

Anima mea! salus
Parentum, Amice vive.

Tob. Jun. Vivito.

Achior. Tuus

Quam inopinus est adventus, a cunctis licet
Desideratus dudum. At edic, quo viæ
Ad nos comite?

Tob. Jun. Quem cernis, est.

Raphaël. Non, sed DEO

Potius comite factum omne, quod factum.

Tob. Jun. Parens!

Tob. Sen. Quod præmium, dicito, dabimus huic viro?
Ejus beneficiis quid esse poterit
Dignum?

Raphaël. Mihi nihil.

* * *

Non est labor meus,

Quod servatus,

Liberatus

Tantus talis

Sis a malis:

Sed, hæc fecit DEUS.

Hic *Misericordiam*

Tecum fecit,

Nec projecit

Tua vora

Tam devota,

Illi dabis gloriam.

Tob. Jun. Peto Parens, Eum roges,
Si forte medias summere placeret sibi,
Quas nempe secum attulit, opes fidus Comes.

Tob. Sen. Audio tuas, fili, preces, rogabo Eum:

Raphaël. Frustra rogas.

Tob. Sen. Cur merita renuis præmia?

Raphaël.

Raphaël. *Sacramentum Regis abscondere bonum est,
Opera autem DEI revelare, & confiteri
honorificum.*

*Manifestabo ergo vobis veritatem,
Et non abscondam à vobis occultum sermonem:
Ego sum Raphaël Angelus unus ex septem, qui
astamus ante Dominum;
Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem
DEI eram:*

*Ipsam benedicite, & cantate Illi.
Tempus est ergo, ut revertar ad Eum, qui me misit:
Vos autem benedicite DEUM, & narrate omnia
mirabilia Ejus.*

Tob. Sen. Fili!

Tob. Jun. Pater!

Tob. Sen. Conjux!

Anna. Tobis!

Achior. Bone DEUS!

Quid sentiam? somnio, vigilone?

Tob. Sen. Eja cito

Mecum in genua.

* * *

Tob. Sen. Anna. Te proni adoramus,

Tob. Jun. Achior. Te DEUM dilaudamus,

Tob. Sen. Anna. Coeli Numen,

Tob. Jun. Achior. Boni Flumen.

Omnes 4. Tibi grates reddimus:

Tob. Sen. Anna. In amore,

Tob. Jun. Achior. In favore

Omnes 4. Conservari petimus.

Raphaël. Sed! apertius nunc me canere latens decet

Mysterium. Est jam TOBIAS JUNIOR

Quis? nempe REVERENDISSIMUS, AMPLISSIMUS
DOMINUS, DOMINUS IGNATIUS, PRÆSUL, PATER
TER GRATIOSUS ALTAHÆ, Qui denuo

Gra-

*Gravissimum morbi periculum DEO
Dante superavit, denuóque sanus, &
Incolumis apparet. Tobis vero Pater
Cæcus catervam Filiorum denotat,
Qui nominare jure se Cæcos, suo
Male habente se LUMINE, merito queunt.
Qui Annam desiderat: dico, quod sit Altaba,
Et Achior, Venerabilis Vicinia, pio
Quæ mentis affectu indoluit IGNATIO.
Isti igitur ore candido clamant simul:*

☆ ☆ ☆

VIVAT IGNATIUS!

In sera sæcula,
Fortuna prospera,

Quod fiat,

Ut fiat:

Tu Poli Rector dabis,
Et votum confirmabis.

U. I. O. G. D.

